



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

7. Indulgentia nimia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

in Republica; quàm industrios, vigilantes, & efficaces illos esse par sit, ne cunctando magis perdant rem, quam restituant. Certè Neptunus festinabat opprimere tumultuum excitatores, unde pernicious labitur rotis, Currúque volans dat lora secundo.

VII. (g) Jubet Æolo ventorum regi renuntiari Neptunus, ut de cætero suos ipse ventos meliùs in carcere frenet, & aliena regna ne inquietet. Subditorum quippe scelera imputantur regentibus: & fit alienæ reus noxæ, qui, cum possit impedire malum, & debeat, tamen conivertet & dissimulat. Ubi locus illi juris regulæ: Censetur ipse facere per se, quod facit per alios.

VIII. (h) Neptunus tanquam Rex potentior monere videtur Æolum, ne causam præbeat graviori bello, cum desint vires resistendo. Requirit enim justitia, ne sumantur arma sine necessitate: neque inferantur, nisi denunciata. Et unde bella, nisi ex cupiditate invadendi aliena? Si quisque sua contentus sorte viveret *Pax alma bearet mundum*. Unde ejusmodi turbatoribus ingerendum, quod Neptunus Æolo auntiari mandavit:

----- tenet ille immania faxa

Vestras, Eure, domos: illa se jactet in aula

Æolus, & clauso ventorum carcere regnet.

Claudant, inquam, ventos, seu ventosos ambitionis & avaritiæ spiritus; tunc & ipsi quiescent, & alios quiescere sinent.

IX. (i) Per Neptunum insuper exprimitur fortis & intelligens reipublicæ gubernator, qui ad clavum sedet, navimque flectit, ac reflectit, perque fluctus & procellas salvam expedit. Nam quid aliud est tot provinciarum, catuúmque hominum in mundo varietas, quàm mare, variis populorum moribus ac motibus agitatam ac fluctuans? Igitur Neptuno, hoc est, Navarcho & gubernatore solerti & prudenti indiget, qui rempublicam, velut ingentem populorum navim, in æquore vasto moderetur & regat, ut scilicet inter cives pax & concordia constet; ut vicini vel amici sint, vel subditi; ut schismata, seditiones, conjurationes, hæreses, pravi mores caveantur, tollantur, opprimantur. In hoc mari *Anchora* est Religio, *funes* sunt Leges, *vela* sunt Sortes & Opes civium, quæ vento secundo, id est, fortunæ faventi permittenda, adversâ constringenda. De Neptuno, Ventos tempestatis concitatores reprimente elegantem similitudinem inducit Poëta, à gubernatione reipublicæ desumptam: Ac

(g) Peccatum indulgentia in Principe. (h) Prudentia polemica. (i) Sapiens magistratus.